



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum XXXII. Licet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

26. propterea, quòd examen à Trident. Concilio requiratur, tanquam forma, sine qua collatio irrita sit. Quamvis de hac doctrina meritò dubitari possit, saltem cum aliquis à Patrono Laico presentatur, in quo casu observatur Jus antiquum, ut si is, qui presentatur, dignus judicatus fuerit, institui debeat. Frustra autem in tali casu examen instituitur, si apertè notum sit, eum dignum esse, id est moribus, & doctrinà commendatissimum; quod enim notum est, de eo frustra inquitur; & ad argumentum responderi potest, irritam esse institutionem, si fiat non pramisso examine, ubi examini prudenter locus esse potest; saltem in Germania consultum non est, ut presentatus à Patrono, aut liberè instituendus ad beneficium curatum, si notoriè idoneus sit, examini subijciatur; sed neque forma conferendi per concursum in Germania est usitata, quamvis valdè expediret, eam in usum deduci, cum alioquin multi indigni, aut minus digni, ad Ecclesias parochiales, non sine magno spirituali damno promoveantur.

CAPITULUM XXXII.

Licet.

PARAPHRASIS.

Tametsi decretum sit, ut beneficiarij, qui Theologici studij causà absentes sunt, beneficiorum suorum fructus integros percipiant, tamen hac concessione non censentur comprehendi distributiones quotidianæ, quippe, quæ ijs tantum tribui debent, qui in Ecclesia resident, & Floris Canonici intersunt.

SUMMARIUM.

1. Cui Clerico concessum est, ut absens etiam fructibus sui beneficij gaudere possit, non censentur concessa etiam distributiones quotidiana.
2. Hinc infertur, privilegium ex una nonnunquam parte favorabile esse, ex alia parte odiosum.

Notandum. Si Clerico seu communi iure, seu per privilegium concedatur, ut fructus beneficij in absentia percipiat, hac concessione non censentur comprehendi distributiones quotidianæ. Ita etiam docui in *c. unico de Clericis non residentib. in 6. not. 1.* Ratio dari debet, quia distributiones habent institutionem diversam, à fructibus præbendæ; dantur enim illæ principaliter ob Ecclesiastici officij celebritatem, ut Canonici tantò libentius, & studiosius intersint, si præsentem remunerationem accipiant.

Exinde infert *Abb. h. n. 3.* accidere interdum, ut privilegium unà ratione favorabile sit, & eatenus latè explicandum; alià autem ratione odiosum, quatenus tertie personæ, vel Ecclesiæ præjudicare, aut cultum divinum minuire potest, & eatenus strictè interpretandum esse, qua de re dixi in *lib. 1. tract. 4. c. 23. n. 3. S. aliud.*

CAPITULUM XXXIII.
Exposuisti.

PARAPHRASIS.

Episcopus Vesprenensis exposuit Honorio III. postquam per Concilium Lateran. sub Innocent. III. (*supra in c. extirpanda §. qui vero hoc tit.*) decretum fuit, ut habentes Capellam, seu parochialem Ecclesiam; ei per se, non per Vicarium deservire teneantur, ex eo tempore, Canonicos Ecclesiæ cathedralis, ex præbendarum suarum redditibus, non posse consequi sustentationem sufficientem, quandoquidè Capellæ ipsis conferri amplius non possint, quare petijt Episcopus à Papa, ut dispensativè permitteret Canonicorum redditibus per provisionem Capellarum accessionem fieri, & augmentum. Ad id respondet Honorius petitioni ejus satisfieri non posse, propterea, quòd generalis Concilij statutis, quæ inconcusse servanda esse vult Pontifex, derogaretur. Verùm ut Episcopo, tanquam benè merito, gratificetur, &

opem